

V C  
4859





*In laudem eorum quorum ope et auxilio  
a pax precipue iniita.*

Vc  
4859

MEMORIAM SAECVLAREM

# PACATAE

A

TRICENNALI BELLO

# GERMANIAE

AD D. XXIV. OCTOBR.

A. R. S. MDCCXLVIII

SVSCEPTIS PIIS VOTIS

SOLLEMNIER RECOLENDAM

INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

ERLANGENSIS

PRORECTOR

IOACHIM EHRENFRIED

PFEIFFER

S. S. THEOLOG. DOCTOR EIVSDEMQUE PROF. PVBL.

ORD. DIOECESEOS ERLANGENSIS SVPERINTENDENS.

VNA CVM

PROCANCELLARIO

ET SENATV



ERLANGAE

LITTERIS VIDVAE IO. FRID. BECKERI, ACAD. TYPOGR.

69

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(GALE)

BIBLIOTHECA  
PONICKAVIANA

**A**ETERNAE PACIS commendationem, quamquam sit maxima, vilipendi tamen, imo rideri, ab iis hominibus cernas, qui, instauratam sua aetate inter eosdem populos non vnam pacem recolentes, inanem interpretantur aeternitatem, quae vel lustro minus possit, ac soleat, esse diuturna. Neque abest suspicio, aut non satis prudenter promitti, aut promissa pessima fide praestari, vbi tabulae infinitam pacem spondent, re ipsa induciae longiorem quandoque populis quietem attulisse leguntur, quam magnifica illa sempiternae pacis foedera. Quicquid autem eius rei sit, quaeri ab hominibus, et quidem minime indoctis, Iurisque gentium inprimis gnaris, poterat: sitne fatius, pacem ad certum annorum numerum restrictam, singulasque pacis condiciones, induciarum more, inire; utpote quae nisi manifesto scelere violari non possint: an vero perpetua foedera pacisci? quae, cum vere perpetua vix natura ferat, quouis tempore multo minori, ut rerum usus docuit, inuidia liceat infringere. Succurrit hoc loco memoriae Pontificiorum in constituenda, cuius memoriam saecularem celebramus, pace a Statibus Euangelicis grauis dissensio; quorum illi Bonorum Ecclesiasticorum possessionem ad centum annos nostratibus concedendam putarunt, hi de perpetua possessione, ut vera pax fieret, transigendum contenderunt. Neque tamen de ipso vocabulo magnopere laborandum sagaciores existimabant; tametsi suspectum erat, ipsa re admissa, vocem maxime commodam adhuc repudiari. Et pars utique prudentiae erat, vulnus, quod rebus suis infligi putarunt Romanae Ecclesiae addicti, non violenta manu contrahere, sed eius partem tempori, ut lente coire possent, relinquere, animoque non iniquo ferre, si in ipso Pacis instrumento cicatrices quaedam vulneris apparerent caetera bene sanata. Certe non sine voluptate in Actis legitur, quemadmodum ex summo dissensu aduersarum partium, per varia conciliationis tentamina, tandem et de re, et de verbis, sit enata consensus; dum perpetuitas, ab ipso quidem Caesare primum admissa, deinde a Statibus Pontificiis, annitente iterum Caesare, quasi meliora edocto, expuncta, tandem Articulo quinto reddita est; ea tamen verborum ambage, quae aliquam perpetuitati circumscriptionem, aut certe conditionem, non tam adiungeret, quam adiungere videretur. Sanctum enim est: ut bona Ecclesiastica eius religionis Consortes, qui prima Ianuarii anni vigesimi quarti in reali eorum possessione fuerunt, vsque dum de Religionis dissidiis per Dei gratiam conueniretur, tranquille et imperturbate possiderent, neutrique parti liceret alteri, seu in iudicio, seu extra, negotium faceffere, multo minus turbas, aut impedimentum

dimentum aliquod, inferre: si vero de religionis diffidiis amicabiliter conueniri non possit, nihilominus ea conuentio perpetua esset, et pax semper duratura. Cernas hic Sacrorum puriorum defensores summo studio, felicissimoque successu, securitati posterorum in omne aeuum, quoad id sancta pactorum vi obtinere licet, prudentissime cauisse. Cuius rei fructum hac tempestate, qua centum anni, quibus pacem circumscribi cupierunt Pontificii, elapsi sunt, cum primis percipimus: vt vel hoc vno exemplo constet, perpetuam pacem temporariae, tametsi vtraque rumpi possit, longe esse anteponendam. Atque id recte decerni nemo dubitet, quoties nimirum cum eo inimico paciscamur, quem vel certo, vel mediocriter, sperare licet, fore, vt pactis stet. Pariter autem omnes ancipitis rem consilii esse profitebuntur, si pax sit cum hoste constituenda, quem non solum suspiceris, sed et prope prauideas, nouo mox bello aut causas nouas quaesitum, aut refricatas antiquas esse praetexturum. Dura est haud dubie illorum Principum, ac rerum publicarum, conditio, quibus cum eius ingenii hostibus confictandum est; facileque colligitur, nullam his longioris pacis spem ponendam esse in pactis, qualiacunque demum condantur: id vnum ipsis restare, vt iudicent, numquid emendando, iuris naturalis atque diuini contemtori, hosti adiumentum, repetitis pactis, afferri possit. Hic ergo si in perpetuum pacisci nolit, quod tamen vix in quemquam, nisi plane barbarum, cadere potest, necessitate coactis vtique ad finitam annorum numero pacem stabiliendam descendendum est. At, si liceat lites in perpetuum componere, aliquemque de causa belli consensum sempiternum stabilire; plane in hanc formulam pacta esse constituenda arbitramur, etiamsi forte hostis aegre consentire, aut non omnino bona fide consentire, videatur. Cuius sententiae grauissimae praesto sunt rationes. Quod si enim bella cedendis rerum quarundam possessionibus plerumque finiuntur, animis autem non facile, nec statim, rei possessae desiderium eximitur; quo fit, vt pax non sit durabilis; patet tamen, facilius desiderium rei olim possessae tractu temporis extinguui, iure vindicandi per pactum sublato; quam si, saluo iure, ad certum saltem tempus vindicandi facultas praecidatur. Perpetuis itaque pacis conditionibus futuri belli materies, ac causa, non quidem semper aufertur, reprimitur tamen; pace temporaria plane alitur. Possent haec ex media Philosophia, intimisque mentis humanae recessibus, subtilius disputari, planum faciendo, ingenium hominum, etiam tum, cum iniustitiae indulget, non posse, nec solere, omnem iusti aequique sensum abicere; et, si quid cupidius appetat,

appetât, minus tamen effuse appetere, quamdiu sceleris, et fidei violatae, opprobrium metuit. Vnde magna pacatorum, tametsi aegre initorum, censenda vis est, vtpote quae vicinarum opum appetitum, aut opprimit, aut aliquo saltem modo, obiecto iustitiae freno, cohibet. Itaque rationes sic subducimus, vt temporariae pacis pacto subsidium nouo bello parari, sempiternae pacis pacto insigne subsidium eripi, statuamus; hincque conclusionis summam efficiamus: perpetuas sanctiones, qualicunq; demum ingenio is sit, cum quo paciscimur, anteponendas esse temporariis. Isthanc certe, vt caeteras ad pacis conciliandae artem spectantes quaestiones, dignissimam arbitramur, quae accurato doctorum hominum iudicio dirimatur. Vbi vero in memoriam reuocamus istam aeternam Pacem, quae ante saeculum, Osnabrugae et Monasterii, singulari Numinis gratia, nouo plane modo, summis prudentissimorum virorum ac status Ministrorum studiis constituta est, tum multis modis animus commouetur. Horrescit pectus clades hominum, vrbium, prouinciarum memorans, quibus medela fuit afferenda: surgit admiratio, quemadmodum in tanta damnorum illatorum, et acceptorum, mole, reconciliationis primum spes excitata, deinde media et subsidia inuenta, repugnantibusque persuasa, tandemque communi fuerint consensu probata: beneficii autem diuini, quo almam patriam, post immissas horrendas calamitates, clementissime refouit, grato sensu animus suauius demulcetur. Iustum est, tanti negotii memoriam publice instaurari, nostraeque, qua per Numinis gratiam ab isto tempore fruimur, incolunitatis, ac tranquillitatis, origines non sine solempni gratiarum actione retractari. Quo igitur die, ante hoc centum annos, Instrumentum Pacis subscriptione firmatum est, nimirum vicesimo quarto Octobris; eo Orator Academiae, IOANNES MARTINVS CHLADE-NIUS, in laudibus beneficii diuini versabitur, publicaue Oratione, memoriam saecularem instauratae in congressu Monasteriensi et Osnabrugensi ARTIS PACIFICATORIAE praedicabit. Iam his saecularibus non ludis, sed sacris, vt Illustrissimus S. R. I. Comes, caeterique Generosissimi ac Nobilissimi Academiae Cives, et quotquot literaria re delectantur, dicta die operam nobiscum dent, magis speramus, quam, quod in rebus incertis fieri solet, desideramus. P. p. Dom. XIX. p.

Trin. MDCCLXVIII.

ULB Halle 3  
007 652 02X







*In laudem eorum quorum ope et auxilio Me  
ca pax praecipue incisa.*

Vc  
4859

MEMORIAM SAECVLAREM

PACATAE

A

ENNALI BELLO

GERMANIAE

AD D. XXIV. OCTOBR.

A. R. S. MDCCXLVIII

CEPTIS PIIS VOTIS

SOLLEMNIER RECOLENDAM

INDICIT

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

ERLANGENSIS

PROFESSOR

HIM EHRENFRIED

PFEIFFER

PHILOSOPH. DOCTOR EIVSDEMQUE PROF. PVBL.

UNIVERSITATIS ERLANGENSIS SUPERINTENDENS

VNA CVM

PROFESSOR CANCELLARIO

ET SENATV



ERLANGAE

LITTERIS VIDVAE IO. FRID. BECKERI, ACAD. TYPOGR.

